

2.

Q. F. F. S.  
DISSERTATIO PHYSICA

De

# ELASTICITATE

Qvam

Cum suffragio Ampliss. Sen. Philos. in  
Regia ad auram Academia,

Sub PRÆSIDIO

Decani b. t. spectabilis

Dn. Mag. NICOLAI

## HASSELBOM,

Mathem. Prof. Reg. & Ordin.

Pro honoribus Philosophicis, examini  
modeste submittit

S:æ R:æ M:tis Alumnus

## PETRUS TOLSDORF

SMOLANDUS.

Die I. Julii MDCCXXXV.

---

A B O Æ,

Exc. Joh. Kiämpe, R. Ac. Typ.

**C**uncta, quæ in hoc conspi-  
ciuntur universo, ex par-  
tibus minimis se invicem  
certo ordine excipientibus  
totum constituere, quilibet, qui  
naturam & constitutionem cor-  
porum adcuratius perpenderit,  
facile animadvertis. Quemadmo-  
dum autem quælibet partium il-  
larum locum in toto suo occupat;  
ita quoque ex partibus hisce  
compositū locum quendā implere  
necessa est. Quum partes distin-  
ctas in re quadam nobis propo-  
nimus, notionem habemus exten-  
sionis in longitudinem, latitudi-  
nem & profunditatem, & conse-  
quenter entis compositi. Huic  
vero extensioni cum constituan-

A

tur

tur limites, oritur figura, quæ nihil aliud est, quam extensionis terminus. Nisi enim certi extensionis darentur cancelli, tum infinitum extenderentur corpora. Dispositionem vero Divinam alter ordinasse, præter alia, vel ipsa experientia docet & corporum natura, cui ab ordinario statu dimotæ, nisum & vim quandam se- se restituendi, naturalemque statum recuperandi inditam esse, intueri licet: hanc Philosophi elate- rem sive elasticitatem *a mīs t̄lā u- ssu* duduim adpellarunt,

### §. I.

**I**ntelligimus itaque per elasticitatem, ut diximus, vim illam, quæ corpora violentia quadam pressa, tensa ac incurvata, pristinam naturalem figuram & dimensionem induunt, resarcientes aut restituere conantur, cessante vi illa premente. Ut plenius hæc ipsa

ipsa intelligi queant, corporis duri atque mollis definitiones addere placet. Corpus perfecte durum est, quod ab ictu, vel alia externa vi, figuram non mutat: molle vero dicitur, quod ab ictu, vel alio modo, figuram pristinam amittit, atque in ea permanet, donec iterum mutetur, ut argilla, sebum, cera, etc. Hinc dilucide patet elasticitatem nostram medium quasi occupare locum inter duritatem atque molitatem, cuius nimirum ope corpora ab ictu, vel alia quadam ratione, figuram & dimensionem quidem mutant, sed vi propria easdem repetere valent. Haud ignoramus philosophicas magis definitiones tam duritiae, quam molitiae apud alios occurrere, non sine causa vero praesentes adduximus, ut ex parallelismo cum descriptione elateris, hujus natura & ratio exinde facilius patescat.

Qvod vero ad allatam vis hujus definitionem attinet, parum ab ea dissentient veteres recentioresq; Physici. Nova prorsus est, qvam perfectæ elasticitati addit, notio cl. Hambergerus, dum eam esse dicit, qvæ vi externæ agenti perfectly resistit, unde corpus eadem præditum non mutatur, nec se se restituit, Coincidit hæc idea prorsus, vel iplo fatente, cum ea, qvam foyemus de corpore perfectly duro, & evanescit omne id, qvod naturam & proprietates elasticitatis repræsentat. Genuinam vero agnoscimus perfectly elateris notionem qvam adhibet Celeberr: s<sup>r</sup> Gravesand: qvod ita dicatur, quando partes icta, (vel alia ratione tentatae,) ad pristinum situm redeunt vi æquali illi, cum quæ fuere icta etc. Sed pergitus ad historiam elasticitatis breviter concinandum, unde, & non ex vanis

nis hypothesibus, omnia ea, qvæ ad ejus naturam enodandam pertinent, hauriri debent.

§. II.

**T**riplici præsertim modo vim eam patiuntur corpora, qvam elasticitas repellere conatur: *Inflexione* nimirum, *compressione* & *tensione*. In prima classe ponenda sunt ea, qvæ figuram magis, qvam dimensionem per incurvationem mutant, qvalia sunt arcus, pinnæ & laminæ metallicæ in primis chalybeæ, qvæ curvatis flectuntur cornibus; huic generi ortum debent *clateres* (Fiduciar) stricte sic dicti, qvi vel simpliciter flexi, vel in spiras convoluti & contracti, aut compressi, immo etiam expansi, nisu hic fortiori, illic remissiori resistunt, & pristinum affectant statum. Hujusmodi sunt curvati fusilium chalybes; Spiræ horologiorum, qvi bus

bus intra tympanū convolutis rotæ omnes commoventur; ut & Spiræ ad pondera dijudicanda applicatæ, & infinita alia. Præter metalla post inflexionem fere restituendi vi etiam pollent ligna, virgulta, cornua, pili; item laminæ, tubuli tenuiores vitrei & fila inde confecta; qvin & lapis dum nonnulla genera, & multa alia. De his vero omnibus in genere notandum, qvod ad hanc virtutem vel conciliandam, vel augendam varia ratione præparari & temperari debeant, qvod ex malleatione in laminis ex aurichalco, ferro & chalybe paratis, constat; immo in ipso plumbō & stanno excitari potest, si malleationem aliquam experiantur, aut aliis modis structura mutetur.

### §. III.

**S**Ecundam classem constituunt com-

compressa qvædam, & violenta manu, aut ponderum incumbentium nisu in angustiam redacta corpora, qvæ ubi suæ redditæ fuerint libertati, dimensionem pristinam ultro affectant: non, qvod idem corpus possit unquam minus extendi, seu angustius occupare spatum, sed qvod mutata structura vel compositione, & expulsa materia aliena interlabente, in minori esse volumine videatur. Hæc ipsa vis in spongiis, plumis, lana, medulla panis & arborum nonnullarum, similibusqve aliis ad oculum patet, ita ut plura de his addere supervacaneum foret. Aëris vero elasticitatem, qvæ hac eadem ratione sese prodit peculiari perseqvemur thesi. Non possumus autem non leviter attingere elasticam hanc virtutem per effectus qvosdam etiam deprehendi in corporibus admodum duris

duris; uti sunt globuli eburnei,  
vitrei & chalybei, quos si in alia  
corpora duriora impingant, quan-  
dam complanationem & restitu-  
tionem ostendere, experimentis  
evictum dedere Mariottus &  
Keilius, dum ille globulum cha-  
lybeum in incudem sebo aut pin-  
gvedine paulum illitam saepius  
demisit, atque constanti experi-  
entia observavit, hoc illum majus  
in incude sui vestigium reliquit.  
se, quo ex altiore loco deciderat,  
quod ex collisione pars illius fie-  
ret magis complanata. Hic vero  
duos globos, vel eburneos, vel vitreos,  
assumit, atque unius superficiem a-  
tramento, vel alio colore, qui facile  
detergi possit, inficere jubet: ita si al-  
ter in hunc impingat, experimento  
constare affirmat, non punctum tan-  
tum physicum globi incurrentis, post  
impulsum, alterius colore tingi, sed  
partem ejus superficie satis magnam:  
hoc

boc vero fieri non potuisse, nisi ipsorum superficies per istius vim mutatae & complanatae aliquantum fuissent. cōfr. Verdries Phys: cap. VI. § VI. varia quoq; in hanc rem partim nova, partim accuratius instituenda excogitavit experimenta celeberr. s' Gravesand.

#### §. IV.

**T**ertiæ classis sunt ea, qvæ manente eadem materiæ propriæ quantitate supra ordinariam extensionem expandi possunt, & expansa, sublata vi expandente, se rursus contrahunt. Qualia sunt chordæ, fibræ, fila metallica, corium etc. Non qvod idem corpus per se possit magis extendi, vel majus occupare locum; sed, qvod mutata structura & compositione, ejectaque materia interlabente, versus aliam plagam, seu alias dimensiones ulterius proferatur; sic cum in longitudinem tenditur

ditur chorda, vel corium tympani qvaqva versum, in crastitudine tantundem perdunt, gracilioraque fiunt & tenuiora, adeo ut revera non secundum magnitudinem, sed secundum figuram tantum mutentur. Hinc, ut & ab illis, qvæ de inflexis §. 2. a nobis tradita sunt, patet has etiam duas classes, ad classem secundam seu *compressorum* facile redigi posse. Majoris tamen distinctionis gratia, pro varia applicacione & directione vis cogentis, non abs re in tria quasi loculamēta reposita sunt. Hæc autem ratio fuit, cur mechanici scriptores alii ad ieiū solum, alii ad tensionem, alii alter, vim hanc omnem necessitatem reduxerint, majoris compendi, meliorisque demonstrationis cauſa.

### §. V.

**A**Erem ad secundā elasticorum pertinere classem jam antea innui-

iñuimus; sed ob illustria, qvæ circa illum institui solent ac possunt experimenta, singulari dignus est loculo. Quemadmodum nullum corpus compressioni obnoxium magis est, qvam aér; ita nec ullum majori vi se se restituendi pollet, qvod sclopeta pneumatica, folles lutorii, & fontes artificiales pneumatici facile ostendunt. Hæc ipsa affectio se se apertissime prodit in bombardâ pneumaticâ, cujus beneficio globuli non minori exploduntur impetu, qvam ope pulveris pyrii. Qvo autem magis comprimitur, eo vehementius vim suam exercet elasticam, & qvo liberius spatiū ipsi conceditur, eo magis se se expandit. Dum enim prælum antliæ pneumaticæ aëris plenæ glomeratur, epistomio ita occluso, ut nullus inde aëri exitus pateat, tunc eo difficilius movetur, qvo profundius

us intromissum fuerit: Unde viderimus aëra vi isti prementi resistere, & tanto fortius, quanto compressior fuerit. Evenit etiam dum compressio subsistit, quod embolus vi aëris inclusi sese extendentis, circumacta trochlea, iterum expellatur, ut per plurima alia taceamus experimenta. Non solum autem ita de consilio coactus & compressus aër, tam validum sese expandendi, & a compressione liberandi conatum ostendit; sed liberum etiam, qui corpora nostra ambit, ab hoc nisi alienum non esse testatur observationes. Sic aër externus, proprio quasi instinctu, in vas recipiens aere prius exhaustum, cum sibilo & strepitu irrumpit. Sic vesica ad montium radices, atque in convallibus flaccida, in fastigium eorundem sublata extenditur & turgida fit. cfr. Sturm.

Phys.

**S**upereft, ut aliorum etiam corporum elasticitatem breviter tangamus, qvæ aut nulla, aut dubia esse videtur. Inter corpora solida vix unicum, ne quidem durissimum, neque mollissimum occurtere, quod justo temperatum modo, non aliquam præ se terat elaterii speciem, ex antecedentibus facile patet. Neque dubitamus, quin fluida etiam omnia eadem gaudeant virtute; sed experimentis cum his instituendis difficilior locus est, quæ ita sese habere deberent, ut aer, vel subtleriora forte fluida, reliquis interpersa, manente fluido, cum quo experimentum fit, e vase expelli possent, cuius rei difficultatem, a nemine adhuc tentatam, quavis facile prævidebit. Quemadmodum enim in solidis compres-

sio omnis, ante restitutionem per vim elaterii, fit per expulsionem materiæ alienæ seu interlabentis; ita in fluidis quoque, si modo experiri datum foret, eadem illam ratione contingere posse, conjectura haud vana esse videtur: nam aëre, aliisque materiis variis interlabentibus & alienis haud minus imprægnata esse fluida, quā solida dubium nullum est. Qvod autem nonnulli confidunt se elasticam aliquam deprehendisse virtutem in fluidis, ut, spiritu vini, oleis, aqua, immo in ipso mercurio vivo, hoc omne potius ad rarefactionem & condensationem referendum esse censemus; calore namque expandi non tantum dicta modo liquida, sed reliqua etiam omnia, atque frigore iterum condensari, seu in minus reduci spatiū, notissimum est. Num vero alia quadam ratione elasti-

elasticitatis aliquam vim prodere potuerint, nos adhuc fateimur nos ignorare.

§. VII.

**C**ollecta sic in manipulo historia elasticitatis, breviter etiam dicemus, quibus modis eandem augeri, minui, vel prorsus fere tolli hactenus observatum fuerit. Per calorem introduci speciem quandam hujus virtutis, jamjam monuimus: eodem expandi etiam metalla & vitrum experientia notavit. Communiter augetur haec vis in metallis per malleationem, quod in laminis ex orichalco, ferro & chalybe partis obvium est. Idem praefat post moderatam incandescientiam subitanea accedens refrigeratio. Immo frigus fluida, cum in glaciem abeunt, ita expandit, ut haec expansio, non oculis solum certi, sed etiam in effectu, ruptu-

ra nempe vasorum satis solidoru  
& tenacium, observari queat.  
Quædam corpora elastica, quo  
magis urgentur, eo majorem re-  
sistendi vim & elasticitatem osten-  
dunt; alia vero nimia coactione  
vim hanc amittunt, ad minimum  
autem aliquod ejus decrementum  
patiuntur. In laminis quoque  
metallicis id observamus, quod  
incandescens, facta expansione  
partium, elasticitatem malleatio-  
ne contractam tollat.

### §. VIII.

**A** pud veteres Philosophos &  
Aristotelem quidem ipsum,  
ejusque sectatores, parum vel  
nihil invenies de hoc phænomeno.  
Historiam enim ejus plane nullam  
tradunt; atque ex definitione ela-  
sticorum corporum apud Aristot-  
elem tradita non aliud patet,  
quam ipsum ne intellexisse qui-  
dem quid sint: hinc non potest

non de genuinis causis apud illos altum esse silentium. Eadem incedunt via scholastici omnes. Honoratus Fabri superioris seculi Philosophus non incelebris, qui, a nonnullis, scholasticis annumerari solet, primus fuit qui elasticorum qualemcumque historiam dare conatus est; circa causas vero indagandas in eo subsistit, quod dicat eandem nihil aliud esse, quam potentiam quandam motricem intrinsecam, neque mere naturalem, ut gravium, neque vitalem aut animalem, sed inter utramque medium; atque sic nihil differt a qualitatibus aliorum occultis. Cartesius & ejus asseclae, promptissimi semper ad causas rerum omnium redendas, adhibitis in auxilium suis domi factis conflictisque elementis, rem facile expediunt; Uerum enimvero, dum ad ar-

cus

cus, tendines & spiras materiæ subtilis & aëris tandem confugiunt, nihil aliud agunt quam quod causæ hujus studiosos a corporibus solidis ad insensibilia magis ætherem atque aërem allegant.

### § IX.

**P**ropius ad rem ipsam nobis accedere videntur, qui cum P<sup>o</sup> Francisco Lana, Perraltio, & recentioribus aliis multis, confitos illos nullisqve experimentis probatos rejiciunt arcus, tendines, spirasqve in aerre, atqve statuunt restitutioinem illam corporum elasticorum in pristinam figuram vel magnitudinem dependere ab influxu corporis semper subtilioris, atqve hunc iterum a gravitatione corporum universali. Rem vero acu tangere videntur qui negotium hoc divi-

dividunt inter influxum materiæ  
cujusdam interlabentis & cer-  
tam structuram & compositio-  
nem corporum ipsorum. Nam-  
que, ut hanc partem primum  
**expediamus**, experientia evictum  
est ea corpora, qvæ elatere gau-  
dent, esse dura & rigida, cum  
tenacitate qvadam & flexilitate  
conjuncta. Hoc patet sine ulte-  
riori demonstratione ex iis, qvæ  
jam antea in corporum elasticō-  
rum historia a nobis tradita sunt.  
Alterum vero, qvod nimirum  
in compressione expellatur ma-  
teria fluida aliena, qvæ in resti-  
tutione iterum influat, vulgari  
constat experientia, cum spon-  
gia aquâ tumente, qvæ compres-  
sione facta ad tensum oculorum  
expellitur, cessante vero vi illa,  
spongia rursus inturnescit, di-  
stendentibus illam particulis a-  
qveis, qvæ iterum influunt &  
pri-

pristinum occupant locum. Hoc per similitudinem facile ad reliqua omnia applicari potest. Deprehendimus enim, qvod corpora vim illam elasticam non prius exercent, quam ubi compressa fuerint, & eo etiam præsertim loco, quo partes ejus comprimebantur: sic cum gladium incurvamus premuntur partes concavi lateris, alterius vero partes ab invicem magis distenduntur; deinde gladius, vi illa cessante, a parte concava iterum premendo resilit in pristinam figuram. qvod aliter concipi nequit, quam qvod fluidum aliquod expellitur, quando pori angustiores redduntur, cessante vero pressione, fluidum iterum irruens denuo poros expandit, &c. Hanc ratiocinationem existimamus non tantum pro elasticitate solidorum expli-

canda sufficere, verum etiam in fluidis omnibus, aere præsertim & æthere valere, qvæ ut alia adhuc fluidiora & subtiliora agnoscant necessum est, ita ut opus non sit, ad ramos, arcus & spiras configere, qvæ cum fluiditate, & aliis affectionibus fluidorum quam maxime pugnat. Qva vero ratione fluida, qvæ rotundis constare particulis contendimus, majus vel minus spatiū occupare possunt, pro ut in forma tetraedrali, octaedrali vel cubicali, composita fuerint, profundioris est indaginis, quam quod breviter explicari possit. Ne autem quis nobis objiciat, quod caussam elasticitatis rejiciamus in materiæ alienæ influum cuius caussas non tradimus. Respondemus breviter, quod anteā etiam innuimus, hanc dependere a gravitate, hunc vero ab

ab ordine rerum universalis, sine  
qvo corpora omnia perirent. Ex-  
perimenta vero, qvibus efficacia  
hujus influxus innotescit, publi-  
co reservamus discursui.

§. X.

**S**ed rerum harum gnari fa-  
cile animadventent, medul-  
lam hujes tractationis adhuc  
abesse, videlicet de egregiis illu-  
str. Newtoni, s' Gravesandii, a-  
horumqve, mechanicorum præ-  
sertim inventis circa hanc ma-  
teriam, sed tam temporis qvam  
chartæ, cuius definivimus am-  
plitudinem, angustia pressi, ea o-  
mnia ad commodiorem differre  
occasione, tua benivolentia C.

L. freti, audemus.

S. D. G.



